

684-  
GERARDI ANDREAE  
MULLER

ORATIO

DE

LONGAEVITATE  
ACQVIRENDA

HABITA

GISSAE DIE XXIII. SEPT. ANNI MDCCCLII.

CVM

CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATVM

MVNVS ARTEM IBI MEDICAM

DOCENDI

MORE SOLITO RITE CAPESSERET.

---

GISSAE,

TYPIS EBERH. HENR. LAMMERS, ACAD. TYPOGR.

Diaetet.

152,20

Dies diaetet

36



LECTORI S.

**D**um orationem hanc, quemadmodum habita est, plane immutatam, typis committo, paucis monere TE volui LECTOR, mihi non consultum visum esse, meam sententiam de optimo longevitatis acquirendae modo, undique quaesitis exemplis aut novis rationibus nunc ulterius confirmare; quippe quod, annuat modo meis SVMMVM NVMEN votis, olim aliquando facturum sum. Me autem nunquam de eo vitae genere, quod valetudinariis competit, sed de sanorum solummodo & robustiorum etiam diaeta loqui, res ipsa, & oratio mea, ubique indicat. Vale.





*Rektor Academiae Magnifice.*

*Viri summe Venerabiles, Illustris, Consultissimi, Experientissime, Amplissimi, Excellentissimique omnium artium atque Scientiarum Professores, Collegae exoptatissimi.*

*Hospites suis quisque titulis atque elogiis condecoratissimi.*

*Tu denique Generosissimorum atque Nobilissimorum iuuenum in laetam spem Patriae crescentium florentissima concio.*

*Auditores Omnium Ordinum honoratissimi.*



*Itam, & quidem beatam vitam viuere, omnes cupiunt, omnes desiderant homines.*

*Vitam beatam inquam, ab aegritudinibus animi atque corporis morbis, si modo fieri posset, humanaque id pateretur conditio, penitus exemptam: maxima etiam pars mortalium diurnam sibi exoptat annorum seriem viuendo aequare,*



imo vincere, & non nisi in decrepita senectute, seris demum temporibus, mortem occumbere. Eam ob rationem, de *Longaeuitate acquirenda* nunc verba facturus, argumentum elegisse mihi videor orationis meae tritum quidem, attamen, si pauxillula modo spes cuiquam superfit fructum etiam qualemcunque se capturum esse ex fideli ad vitam longam manuductione, semper gratum, semper amoenum futurum, atque ob vtilitatem suam iucundum. Mihi vero omnium artificiorum rhetorices, quibus auribus placere blandiriue possem, penitus ignaro, argumento opus erat, quod se ipsum commendaret; & argumenti potissimum mei causa, attentas aureis mentemque benignam a Vobis, Auditores O. O. H. nunc expetere audeo.

Diximus iamiam, & cuius notum id, esse in votis hominum fere omnium, non solum vt bene, sed & vt diu viuant. Plurimi autem longaeuitatem fortunae cuiusdam caecique fati beneficium esse rentur, quod optare liceat, nisu tuo, omnique animi contentione, & quibuscunque etiam regulis obsequendo, assequi non queas; quorum quatenus vera, & quatenus quoque falsa sit sententia, postea videbimus. Alii e contrario, sed pauciores, sibi creduli persuaserunt vltimam longaeuitatem pharmacis quibusdam acquiri posse; pharmacis scilicet nulli mortalium vnquam notis. Constat optatam Chemicistarum filiis eiusmodi longaeuitatem, etsi ab antiquissimo vsque tempore optatam, vt Chinenfis vetus atque fabulosa Aegypti historia docet, omni aeuo felici successu caruisse, & non nisi luxuriantis ingenii impotentisque animi imbecillimum atque perridiculum fuisse foetum,

tum,



tum, vt omnino etiam heic dici queat, *initium sapientiae contemplationem mortis esse*. Felix ille qui fato suo lubens obsequitur, & rediturae vitae securus, forti anima, anima mortis capaci praeditus est, quae nihil ultra fas postulat, & longaeuitate quidem gaudet, sed ea solummodo, quae mortalibus competit.

Contenti igitur simus, dum eum, quem Natura nobis non denegauit terminum, olim attingamus, & peracto feliciter aeuo, resolutisque penitus corporis nostri iam dudum attriti viribus, ex hoc mundo, veluti a conuiuio, tandem aliquando pleni ac saturi discedamus; siue potius hanc vitam alia, & meliori & aeterna, quam fides laeta exspectat, feliciter commutemus.

Longaeuitatem autem non vulgus solummodo, sed & diuiniore quaedam animae, quibus igneus plane vigor & coelestis origo est, eam ob rationem sibi exoptant, vt se ipsas in maiori temporis spatio eo perfectiores reddere; postea autem, similiore iam Numini factae, non sibi, sed toti, cui genitas se esse credunt, mundo viuere queant; ea nempe sub conditione longaeuitatem expetunt, si id fieri possit, neque votis earum aduersetur vel Deus vel Fatum, id est ordo atque vis Naturae.

Ergo ante omnia longaeuitatis studioso inquirendum est, quid sperare, quid optare sibi liceat. Haud dubium est esse terminos vitae toti humano generi constitutos, quos nemo vnquam transcendet; stare etiam cuique mortalium suam diem, qua inexorabile illum manet fatum, neque sinet ulterius progredi. Quinam sint illi termini, haud quaquam liquet; istud fati constat, non esse fixos eos. Nulli hominum datum



est vitam suam ultra limites quosdam ab ipsa Natura definitos extendere, sed accelerare fatum suum vnusquisque potest; facilis etenim imo facillimus est descensus Auerni, pedem autem inde reuocare nemini licet, neminique vnquam licebit.

Ex his sequitur neutiquam inane & vanum esse longaeuitatis acquirendae studium, cum paucissimi sane mortalium eum vitae terminum attingant, quem ex naturae beneficio attingere possent, eius vocem si audirent, si sequerentur eam. Ingluuiem enim aut luxuriam aliaque vitia & in diaetam errores non credendum est minus nocere sanitati & longae vitae, quam eae, quae manifestius agunt, externae & violentae morborum causae.

Paucissimos mortalium vltimum vitae terminum assequi dixi, quem assequi potuissent, neque fere probatione id indiget. Quantula quaeso hominum pars senectutem attingit? quantula breue septuaginta aut octoginta annorum spatium superat? imo aequat? quod quidem spatium terminum esse vitae humanae ante complura iam secula ab OMNIPOTENTE ipso constitutum, virium naturae ignari, sibi plurimi fingunt. Sed non istud *sacer Vates*, quem veneramus, vult, non istud docet; de eo loquitur quod suo tempore vulgo fieri solebat, leges Naturae non explicat. Ego autem & non vanus suspicor terminum vitae humanae definitum, terminum possibilem vitae si non omnium saltem complurium hominum, magis adhuc remotum esse, & valde longius esse temporis spatium quod homo viuendo aequare posset, quam quidem vulgo putatur. Breuissimis id indicandum est.

Docent



Docent vnanimis qui a tribus prope seculis totum pene orbem lustraverunt Europaeorum filii in Asia, in Africa inque America reperiri inter nationes quasdam ex iis quae vulgo barbarae dicuntur, frequentesque reperiri, viros & feminas peruetustos atque peruetustas, neque insolens aut a Naturae Legibus alienum esse quibusdam in oris plures dari homines centesimum aetatis suae annum iam supergressos, imo etiam quandoque, in quantum saltem hariolari liceat, ducentesimo satis propinquos. Grandaeuorum istorum hominum terminum vitae suae nullus, sane nullus, vnquam superauit; ex eadem materia facti sunt ex qua reliquis cum mortalibus & nos facti sumus: indeque porro sequitur & manifeste, ni quidem vehementer fallor, liquet, spatium vitae humano generi concessae, cuius, o quantam portionem! nos ipsi nostris moribus refecare solemus, multo maius esse quam quidem suspicabamur.

Neque etiam Europa nostra senibus omnino destituta est grandaeuis, etsi rariores ibi occurrant quam in quibusdam aliis regionibus. Magna longaeuitatis atque diu remoti leti in vtroque sexu exempla publicae relationes, quibus recentissima historia nostri aevi continetur, saepius saepiusque nobis exhibent, quae hic verbosius repetere inanis & inutilis labor foret. Non possum tamen quin bigae hominum mentionem faciam, quorum imagines in ditissimo, & vere regio, quod Dresdae est rerum naturalium gazophylacio, asseruantur, senis nempe cuiusdam, bannatus Temesvvariensis quondam incolae, cum vxore sua; quorum haec centesimum septuagesimum quintum, ille autem adeo centesimum octogesimum

simum



simum quintum aetatis suae annum, priusquam facto fungeretur, impleuit \*. rarissimo sane & perquam memorabili longae vitae exemplo!

Sed & monendus mihi vnusquisque est, ne terminum possibilem vitae humanae in genere cum termino vitae huius istiusue hominis, Caii vel Titii, incautus forsitan & praecipitanter confundat, aut inanis spei turgidus quemuis ad eiusmodi senectam peruenire posse falso existimet; quod cur locum non habeat iamiam videbimus. In eo enim nunc sumus vt longaeuitatis causas, in quantum ex obseruationibus notisque aliis naturae legibus assequi eas nobis licet, breuibus ob oculos ponamus atque dilucidemus. Breuibus inquam; iusta enim earum analysis & explicatio non vnus modo horulae spatium exigeret, sed pene totam diem, integrumue tractatum, suo demum tempore forsitan aliquando a nobis conscribendum.

Longaeuitas fere penitus pendet a robore corporis etiam in senectute adhuc satis validi, id est a fibracum & motricium & assidue motarum vi & tenacitate quadam pingui seu lubrica, atque humorum congrua crasi, fortiter resistentibus iis morborum insultibus

---

\* Eundem hunc senem, quis enim dubitet eundem fuisse, admodum celebris KRAMERVS in *descriptione sua climatis hungarici*, se ipsum vidisse refert. In eo autem, ex lapsu forsitan memoriae, KRAMERVS errat, quod etiam vetustiore eum, quam quidem fuerat, facit. Principem istum grandaeuorum sub finem circiter anni 1721. diem suum, admodum serum, obiisse, ab amico quodam accepi, qui circa idem tempus felix Hungariae solum tetigit.



tibus, quibus aliorum natura cito succumbit. Roboris autem hominum basin & primum vt ita dicam fundamentum non speres acquiri posse. Naturae soli istud beneficium debetur, atque proximis naturae auctoribus, nempe parentibus. Fortes creantur quidem quandoque, sed fortibus.

Porro ab educatione sani & ad longaeuitatem apti infantis iamiam eius senect̃a pendet. Duris assuefacias oportet etiam debile corpus quod roborare vis, adeo & a prima vsque infantia: ita tamen assuefacias, vt nunquam laedas illud, quippe quod impune facere tum imprimis raro licet. Aliter ergo educandi sunt delicatuli nostri aevi foetus a parentibus abundantia & luxu iam dudum emollitis orti, quam quidem veteres Teutones atque Celtae, durum a stirpe genus, suos quondam tractare filios solebant, quos vix dum natos ad flumina deferebant, saeuo gelu atque vndis duraturi eos. Quorum vt non reprehendo audaciam, sic & nulli nostrorum hominum auctor esse velim, exemplum id temere vt imitetur.

Relicta vero parentibus ea cura, vt sanos foetus & gignant & probe educent, iuuenes maturioris iam iudicii viam ad longaeuitatem nobis docendi sunt. Est autem, vt vno verbo dicam, breuissima qua eandem assequeris via, *perfecta sanitas, eiusdemque conseruatio*. Quicumque enim perfecte sanus est, illi ne morbi quidem, tristes leti praenuntii, multo minus mors ipsa, proxime imminere possunt; & dummodo mens eius etiam sana sit, felicissimis mortalium merito admunerabitur. *Sanitatem aegris Medicina promittit*, cuius auxilium imploret oportet morbo afflectus; nos autem in eo solummodo

B

nunc



nunc sumus, vt Sanitas quo modo conseruari & queat & debeat, breuiter indicemus.

Notum est Medicorum filiis sanitatem in facilitate quadam & aptitudine consistere omnes functiones, quae homini competunt, exercendi; qua quidem sanitate frui debet candidatus longaeuitatis, sed conseruare eandem vix potest nisi assiduo exercitio atque vsu earum ipsarum quibus pollet facultatum. Hanc ergo principem legem esse ei qui longaeuus fieri vult obseruatu necessariam fidenter assero, vt omnes quae sibi competunt functiones diligenter exerceat.

Celebres igitur Morum Praeceptores non soli discipulis suis suadent vt Naturae conuenienter viuant, sed & ego qua Medicus idem flagito; certus omnino hac sola ratione ad veram felicitatem & animae & corporis perueniri posse.

Subiungetur mox primae a nobis latae legi altera, comprehensa quidem sub priori, sed obscurius, & aequalis eidem iure existimanda: Omnes functiones nostrae, omnes vires corporis in quadam proportione erga se inuicem vt sint requiruntur, ne forsan excessus vel defectus vis facultatis cuiusdam, quod quidem saepius contingit, aliis viribus corporis nostri obsit, laedatque eas.

Porro roborandae sunt etiam nostrae fibrae, vt ea, quae alia debiliora corrumpunt corpora, nos perferre possimus illaesi, & a morbis intacti. Necessario igitur assuefaciendum est, sed pedetentim tamen, corpus nostrum causis iis externis internisque, quae morbificae vulgo esse solent debiliori compagi alterius hominis; eiusmodi enim robur imprimis est necessarium machinae corporis nostri diutius duraturae.

Eam



Eam ob rationem ille quem formare animus est discipulus, nos si audiet, omnes iniurias aëris, climatis, in quo viuit, quantum vnquam fieri potest perferre discet, repentinasque etiam mutationes caloris in frigus, frigoris in calorem perferre demum aliquando, sensim nempe sensimque, tentabit, atque hac ratione, id illi ego spondeo, catarrhos & rheumatismos, veteri etiam Graeciae ignotos, vix vnquam experietur.

Quam frequens morborum nobis causa sit frigus calorem, calorem frigus subito excipiens, neminem latere potest. Russorum autem & Americanorum quorundam aliarumque etiam gentium corpora adeo non laeduntur ab eiusmodi repentinis mutationibus, vt potius iis remedii loco fiat ad complures morbos, robustissimis nempe hominum, tentaminibus huius generis a prima vsque infantia adsuētis. Ego ipse rusticam Polonorum gentem, Russica sane non multum debiliorem, adeo magnum & frigoris & caloris gradum alternatim & innoxie perferre mirabundus saepius vidi, cui tenellum meum neque exercitio satis induratum corpusculum exponere ego sane non facile auderem.

Animaduerti etiam ad longaeuitatem permultum conferre corpus quandoque insignem ad fatietatem vsque repletum, & quandoque fame tentatum atque probe esuriens. Vt enim congruis alimentis repletum corpus fibris motricibus solidum robur impertitur, sic idem ieiuniis omnium optime purgatur, vasaque eius sanguifera nunc turgida, nunc collapsa, eam tenacitatem inde acquirunt, vt non facile a leuissimis quandoque causis in encephalo disrumpere, letalemque cito creare possint apoplexiam. Eiusmodi sane regimen, si quid aliud, ad



vitam longam conferre facile probatu est : complures etiam pauperum, necessitate coacti, regimen hoc probe obseruant; diuitioribus autem, atque illis qui cum Epicureorum grege summum bonum in praesentissima semper voluptate quaerunt, & aliis gulae addictis satis scio me incassum illud suasurum esse. Ne tamen his tota errare via videar stolidus magno me exemplo facile tuebor maximi fere Regum, sane maximi heroum, quos quidem vnquam terra tulit. Intelligitis Auditores O. O. H. de Carolo XII. verba me facere, quem non puduit, & quantum virum ! corpus suum, corpus robustum & morti quotidie opponendum, eiusmodi etiam tentaminibus magis magisque adhuc indurare.

Porro iisdem ex rationibus itidem validas quandoque exercitationes robustioribus suaderem, quandoque vicissim ab omni labore ad aliquod tempus intermissionem, dulcemque quietem. Sane hoc vitae genere maiores nostri vsi in corpora excreuerunt illa grandia & praeualida, quae Romanis quondam admirationi erant; eodemque barbarae complures atque longaeuae & felices etiam gentes, de quibus supra locuti sumus, adhuc vtuntur.

Apprime tamen in omni vita tenendum est aureum illud : *ne quid nimis* ; & ego iterum iterumque quemuis monitum esse velim se ipsum probe tentandi, quid valeant vires, quid ferre recusent, priusquam aliorum & haud paulo forsan robustiorum imprudens temere imitari audeat facinora.

De animo hominis & quomodo is constitutus esse debeat, non opus est, vt plura commemorem; constat enim, & pauci erunt qui id ignorent, quo magis virtu-



ti deditus est , eo sedatiorem vulgo esse magisque tranquillum , & placidum , imo laetum , eo magis etiam ad sanitatem conferre , atque morbos arcere quam plurimos , ex impotentia animi apud alios frequenter admodum oriundos.

Temporis nunc parcens silentio praetermitto complures leges diaeteticas particulares , quae ex vniuersalioribus a nobis hucusque latis & sponte fluunt , & ab aliis iam dudum promulgatae atque cuius fere nostrum saepius inculcatae sunt. Multo minus autem fert animus eorum hallucinationes verbosius reprehendere , qui , temere coacto neque naturae conformi vita genere , debiliores potius reddere *sanos homines* instituerunt , quam indurare : quibus discipulos suos , nimium brevis vitae candidatos , morbisque facilius inde obnoxios futuros , non est quod inuideamus.

Liceat tamen nobis paucissima modo quaedam adhuc subiungere ad longaeuitatem apprime facientia. Prudentiores omnes temperantiam merito collaudarunt , temperantiam siue a nimia ciborum quantitate abstinentiam , quorum ingens copia assumpta utique semper nocet , non corpus solum sed & animam praegrauans , atque ipsam , vt cum Horatio loquar , diuinae aerae particulam humo affigens. Est vero alia etiam temperantiae species , quae circa varietatem ciborum versatur , itidem magnifacienda ; cuius enim suadendum est , vt paucissimis & simplicissimis contentus esse discat ferculis , neque improba fauce incitatus magnam varii generis obsoniorum vim debili stomacho auidus ingerat. Audi quaeso eum quem mox allegauimus venusinum vatem :

*simul assis*

*M* scueris elixa , simul conchyliis turdis ,  
*D*ulcia se in bilem vertent , stomachoque tumultam  
*L*enta feret pituita - - - - *P*allidus omnis  
*C*oena desurget dubia.

docet



docet enim & ratio & experientia complures cibos mixtos inuicem facilius fermentare, faciliusque putrescere, atque magis corrumpi, quam eosdem illos cibos seorsim sibi relictos; ex quibus etiam fundamentum legis huius sponte elucescit.

Ebrietatem, soli homini proprium vitium, dedecoram admodum & sanitati noxiosissimam esse a plurimis saepius iam dictum est, idque & Gentes quaedam Americae septentrionalis incolae, olim admodum viuaces, nunc ab abusu spirituosorum & inebriantium liquorum valde debilitatae, imo fere deletae, exemplo vt recenti sic imprimis notatu digno confirmant. Atamen nolim ego celebris Musulmannorum Doctoris & gentium Orientalium Prophetae, magni quamuis nominis viri, Muhammedis inquam, vestigiis fixo pede insistere, eamque ob rationem, solius nempe abusus causa, vino atque stillatitiis vinosis spiritibus quosuis penitus interdiceret; pretiosissimis sane pharmacis, si moderate vtamur iis. Adsit potius precamur frugalibus nostris conuiujs, semperque adsit, Bacchus, laetitiae dator, atque fidus amicus!

Denique monendus etiam vnusquisque est sanitatis suae studiosus atque pallidis vmbris sero demum occubiturus, aura vt semper vescatur, liceat hoc verbo vti, pura, neque grauibus & noxiis effluuijs vndecunque inquinata: aer enim manifestum potius quam occultum est vitae pabulum, quo nunquam carere possumus; aer est qui corpus nostrum perpetim purgat & lustrat, ea in se recipiens & porro dissipans ex eodem ipso nostro corpore assidue expulsa effluuia, quae in angusto spatio coaceruata nobis ipsis haud indubiam necem breui tempore illatura forent. Eligat ergo sibi quisque locum & domicilium quo ventosius, & viuifico quo magis perflabile aetheri, eo salubrius futurum; aut saltem aedibus suis inclusum atque varijs exhalationibus grauem factum aerem iamiam atque saepius expellat, alique locum faciat puriori aerae. Probe memor erit nostri consilij ille qui longaeuitati studet, quique a compluribus, popularibus imprimis, morbis liber esse cupit beatus.

Super-



Supereffent forſan quaedam adhuc dicenda, niſi tempus me deficeret. Aſt ego omnia dixiſſe mihi videor, *Syracidis* prudens atque Tiberio Caefari etiam probatum conſilium dum repeto, & cuius ſerio inculco: „Quid ſanitati tuae conferat, „mi fili, dum viues, ſedulus inquire, & iis abſtine quae tibi „nocere poſſent. Neque enim omnia omnibus ſiue placent, „ſiue etiam conducunt.

Deſino iam & ad praecipuum orationis meae argumentum accedo, ac votis precationibusque bonis huius fauſtiſſimi diei ſolennitatem celebros. Quod cum facere aggredior, animum meum ſubeunt immortalia & ineffabilia Tua, Pater caeleſtis, quibus me a prima uſque infantia beaſti, merita: quorum tanta tamque incredibilis magnitudo eſt, ut illa, non dicam laudibus extollere, ſed ne percenſere quidem numerando queam. Diuinae tuae, Benigniſſime Pater, Prouidentiae vnice debeo, quod in locum cariſſimi, in tenera mihi eheu! nimis cito atque immature erepti parentis mei, dederis alterum parentem, quo nec meliorem, nec amantiorem mei vel optare, vel expetere, vel flagitare vnquam potui; me inter tot viciffitudines, inter tot discrimina rerum, ſaluum vbique ſeruaueris atque incolumem; meque ad peculiarem tuam indulgentiam pertinere maniſteſſimis comprobaueris indiciis. Accipe igitur Stator Conſeruatorque Optime Maxime pro tutela curaue tua praepotenti, in quam me puerum recepifti, atque ſemel receptum ad hunc uſque diem bene ſuauiſſime habuiſti, gratias, quas mens Tibi deuotiſſima concipere poteſt, maximas; largire mihi vires arduo atque difficili, quod hodie tuo fretus auxilio in me ſuſcipio muneri ſuffecturas, atque porro me fructum peculiaris Tuae clementiae, a me aeternis perpetuiſque praedicandae praeconiiſ, capere ſine vberrimum. Immenſa atque infinita gratia Tua & orna & complectere Academiae huius Nutritorem Munificentiſſimum, LVDOVICVM VIII. Haſſiae Landgrauium, Principem piſſimum, Inclytiſſimumque, cuius ſummam incomparabilemque, qua mihi honorificentiſſimum anatomiam, chirurgiam & artem herbariam in hoc celeberrimo Muſarum domi-

domi-



domicilio docendi munus assignauit, clementiam, gratissimo deuotissimoque animo agnosco, atque venerabor donec hos artus spiritus reget, per sancta immortalique pietate. Esse iube Principem sine exemplo maximum longae atque beatæ vitæ exemplum expressissimum, vt laetis vegetisque oculis videat Princeps Magnanimus innumeram ex Serenissimis filiis Celsissimaque Filia Nepotum Pronepotumque seriem, certissimas posteriorum spes, firmissima per antiquae Domus Hassiacae fulcimentata, atque omnium bonorum fidorumque ciuium solatia indubitissima. Commendatissimum Tibi, Numen Omnipotens habe Magnificum Almae huius Ludouicianae Rectorem, vniuersumque Senatum academicum, atque id beneuole da precibus, votis, suspiriisque meis, vt quam diutissime venerer tam celebres, doctos, & singulari erga me humanitate illustres viros; illique vniuersi ac singuli id omne quidquid felicitatis hominibus contingere potest, & largissime & cumulatissime percipiant. Nec Vos sine officiosissima salutatione dimittendos esse censeo, carissima pectora, commilitones dulcissimi. Vestrum causa me in hanc academiam euocauit Eminentissimus Princeps. Vobis labores meos, meas lucubrationes, vigiliâs meridiationesque, imo me ipsum confesco. Vobis me ducem offero ad emetiendum diuturnum ac multis grauibusque implicatum difficultatibus, quo ad artis nostrae adyta contenditis, iter. Sequimini me, atque illud de me persuadete Vobis, me amore in Vos & studio, vestra promouendi commoda, nulli mortaliū esse concessurum. In fine orationis Deum immortalem denuo ardentissimis flagrantissimisque precibus oro, obsecro atque obtestor, vt inclutissimam hanc omnis sapientiae atque humanitatis sedem placido ac sereno vultu semper respiciat, ab omni calamitate, temporum iniuria, aliisque funestis casibus comiter & benigniter defendat, eandemque illibatam, inconcussam, atque nouis iisdemque selectissimis incrementis adauctam volens propitiusque conseruet, ad illum vsque diem, qui mundo nostro extremum imponet finem, aeternamque illi inducet noctem.

DIXI.

Dixit 152, 20